

2055

6

D. O. M. A.  
 DISPUTATIO POLITICA.  
 De  
**ADMINISTRATIO-**  
**NE REIPUBLICÆ CI-**  
**VILI TOGATA.**

QUAM  
 Divinâ Providentiâ sic disponente,  
 UT ET  
*Amplissimo Collegio Philosophico consentiente & approbante,*  
 IN REGIA ACADEMIA ABOENSI;  
 SUB DIRECTIONE

*Praclarissimi Viri,*  
**DN. M. AXELII Kempes** / Philosophiæ  
 Practicæ & Historiarum Professoris ordinarij, nec  
 non Facultatis Philosophicæ p. t. Decani spectabilis, Prae-  
 ceptoris & promotoris sui, omni observantiæ  
 cultu jûgiter honorandi,

*Pro honoribus in Facult: Philosophica obtinendis, placida  
 Eruditorum censura, modestè submittit*  
**NICOLAUS SVENONIS LIUNGBER-**  
**GIUS, Smol. S. R. M. Alumnus.**

*Ad diem 30 April. Anni 1664. In Aud. Max.  
 horis ab octavâ Matutinis.*

**A B O Æ,**

---

Impressa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

Cic. Lib: 1. off: n. 22. ex Platone.

**N**on nobis solum nati sumus, sed ut ortus nostri partem Patriæ, partem Parentes sibi vendicant, partem amici ita vitæ nostræ fructus, non nobis solum, sed partim Patriæ & Parentibus, partim Magistratui & proximo haud immerito tribuendus erit: Cum in terris omnia ad usum hominum creata, homines autem hominem causa esse generatos, idem ex Stoicis affirmat, ut ipsi inter se, alij alijs in hac vitâ prodesse possint. In hoc, nos naturam ducem sequentes, mutando invicem officia, tum artibus, tum opera, tum facultatibus & studijs, hominum inter homines societatem honestè, piè & prudenter devincire decet. Proindè si quis à meis studijs (quæ DEO UNI-TRINO, ex humilimo corde offero & commendo, CUI eadem SOLI accepta fero) fructus proficisci possit, quamvis exiguus, eundem tamen Patriæ, Magistratui meo & proximo humaniter, officiosè & fideliter offero ac dedico.

R E S P O N D E N S .



## Præfatio.



**N**ulla Respub: quamvis partibus suis optimè sit constituta & legibus munita, sine imperio & prudenti administratione, diu salva consistere potest, Arn. c. 7. de Rep. Quippè, que ordo civitatis cum sit, & quidem magistratus, maximè ejus, cui summa tradita est potestas. Ordo est: quia imperantes & parentes scitè & prudenter disponit. Civitatis ordo: quia non unius partis opinionem, sed utriusquè consensum sapienter postulat, civèsq; in ordinem cogit. Magistratus ordo sive summæ potestatis: ab ea namq; per intermedios magistratus, gubernatio in universos fluit subditos, eoque regendo, ut principium & caput, omnia sibi subordinat. Hujus corpus sive materiam constituit ipsa hominum multitudo, que sine ordine & formâ, non aliter ac ruinosum quoddam ædificium facile destruitur & per se concidit. Ideoq; ut corpus sine animâ, cælum sine lumine, ait Casus l. Pol. 3. c. 4. Ita civitas sine ordine, quo omnia ejus membra vigent & conservantur. Hoc verum esse cognoscimus, oculis subyiciendo, omnium in mundo rerum gradus, ubi nihil sine ordine & imperio consistere & coherere videbimus. Ordo sanè sive unio in civitate ubi violatur, ibi etiam artis exercitium, quo gubernatur, Exulat: & virtutis amor, quo continetur, fugit. Ordinem hunc & unionem in civitate conservat prudens Respub: gubernatio, unicum illud medium, quo beatitudo publica

A

intro-

introducitur. Est enim anima civitatis, inquit Besold præcog. Syn. Pol. n. 37. qua non minores in Repub: quam in viventibus anima, effectus producit. Hac administratio si rectè se habeat, totum publicæ societatis corpus, cum omnibus suis articulis, scitè & eleganter connectit, ne vinculum unionis dissolvitur & consensus civitatis turbari queat. Est etiam Spiritus ille vitalis, quo Respub. benè constituta, viget, proficit & profectum conservat, simulq; nocivum evitare docet & jubet. Ubi verò nullus morem alterius gerit imperio, inquit modo citatus Besold. n. 42. summa est confusio, omni tyrannide deterior, quam non solum depellit, sed simul etiam, morbis & erroribus pedetentim irrepentibus sapienter medetur. prudens hæc administratio civilis. Mihi itaq; cum ab amplissimo Senatu Philosophico injunctum sit, Exercitium aliquod speciminis loco publicum, in Philosophia deponere. Licet de argumento cogitanti, res plurimæ affatim sese obtulerint; tulit tamen sententia, Excellentissimam & perquam utilissimam hanc materiam, de administratione Reipub: civili togata, candidis Censorum judicij modestè subijcere, atq; in ea, ob insignem in vita humana usum, præ reliquis omnibus mei ingenij vires exercere. Nam nihil pretiosius, nihil honestius, nihil utilius, tota ex philosophia addiscimus, quam sapienter, honestè & prudenter actiones, tam privatim, quam publicè, in societate civili instituere nostras. Ubi cognoscimus, quomodo eminentioribus debitum honorem & obedientiam, aequalibus candidam conversationem, inferioribus oportunitatem instructionem, nos præstare decet: horum etiam respectu omnium, nos maximè commendat fides & veritas. Da igitur o Deus Rex Regum, & Domine Dominantium, ut facienda sapienter cognoscam, & cognita prudenter efficere possim. Sit itaq; Deo Duce.

THESIS

THESIS I.

**D**uo præcipuè sunt media, quibus summum in societate civili bonum politicum obtinetur: Constitutio nimirum Reipub: & ejusdem prudens administratio sive conservatio, præcl. nostr. Kemp. proœm. pol. Exeg. n. 3. Utrumq; ad politices finem obtinendum maximè facit, qui est vel internus, ipsa Respub: quæ iusta formarum determinatione, ejusq; legitima partium dispositione & instrumentorum ordinatione, in civitatem introducitur: Vel Externus, qui iterum vel cui, felicitas civium publica, sive beatitudo politica, quam singula civitatis membra, rectè disposita, tanquam totum semper respiciunt; vel cujus, publica honestas, quæ eò tendit, ut omnium virtutum chorus in civitate habeatur, & vitia omnia avertantur atq; puniantur. Hæc omnia prudens Reipub: administratio præstat, Besold. præcog. Syn. Pol. n. 29.

II. Est igitur constituta Reipub: Administratio, prudens iusta ac diligens legum tractatio, quæ cives omnes in debito continentur officio, secundum naturam imperij & subditorum, ad gloriam Dei & salutem publicam. Vel brevius, Est recta, imperij & subjectionis ordinatio, quæ partes Reipub: probe suis funguntur officijs, ad publicam salutem consequendam. In eo igitur gubernatio Reipub: consistit, ut primò, subditi ab imperantibus, rectè & legitimè regantur & invicem per concordiam jungantur: firmissimam enim Rempub: facit omnium inter se concordia & consensus, qui introducendus, ubi abest, & retinendus ubi constitutus est. Deinde, ut status & forma Reipub: à corruptionis vitio protegatur, ne inter partes Reipub: vel subditos invicem, discordiæ & factiones ex-

A 2

istant.

stant, Besold. Syn. Pol. l. 2. c. 1. ita Duo hic obser-  
vanda: *Norma* ejusq; requisita, & *forma* Administra-  
tionis.

III. Normam administrationis Reipub: statuimus  
*Prudentiam Politicam*, cum Lipsi: l. 1. c. 7. n. 4. *Qua vi-*  
*det, scit & intelligit magistratus Politicus ea, quae ratione*  
*officij ejus, publicè & privatim agenda sunt & fugienda, eaq;*  
*ad salutem publicam efficiendam, libenter praestat.* Huic  
comparandæ subternitur *recta educatio*, quæ ubi de-  
ploranda quorundam parentum indulgentiâ pessimè  
negligitur, præsagium ruinæ universalis esse, non-  
nulli rectè putant. Besold. Syn. Pol. l. 2. c. 1. n. 2. Ratio  
enim & Doctrina, Idem ex Arist: non satis validæ sunt  
causæ, ad introducendam virtutem, nisi prius bonis  
moribus excultus sit animus. Verum alia est eorum  
institutio, qui ad rempub. gubernandam educantur;  
alia privatorum, qui ad subjectionem informantur:  
Illi, ijs tantum in artibus sunt instituendi, quibus Res-  
pub: pacis & armorum tempore rectè gubernari po-  
test: Hi autem ijs sunt imbuendi moribus, in quibus  
concordia & consensus totius civitatis consistit.

IV. Rectæ Educationi conjungitur *Doctrina*, quæ  
ut in omnibus virtutibus comparandis, magnum est  
adjumentum, in paratis ornamentum existit: ita ad  
comparandam prudentiam politicam, quæ reliquas  
complectitur dirigendas virtutum actiones, maximè  
conducit. Paratur namq; non facile, sine literarum  
cognitione, necessariorum lectione & auditione, im-  
primis historiarum, Lipsi: l. 1. c. 9. & Politices. Turpè  
enim esset magistratui politico, statuta & scita sui im-  
perij ignorare, imò longe turpius, historias sacras &  
articulos fidei non scire, si civis cœlestis esse cupiat.

Lite.

Literæ verò non *Scholasticè* futuro sunt politico traden-  
dæ, ubi plus in prudentiâ deficere, quam proficere  
videntur: Sed *architectonicè*, ut nonnulli svadent. Be-  
sold. Syn. Pol. l. 2. c. 1. n. 6. vid. Lipsi: l. 1. c. 10. n. 14. & c.  
Duo igitur hic nobis cavenda sunt, monente Cic. l.  
1. offic: *Unum*, ne incognita pro cognitis habea-  
mus: ijsq; temere assentiamur. *Alterum*, ne nimis  
magnum studium, multamq; operam in res obscuras  
atq; difficiles, easdemq; non necessarias conferamus.

V. Optima occasio discendi prudentiam, viva est  
doctorum vox, si frequenti & assidua clarorum virorum  
Theol: Ictorum, Philosophorum, Historicorum, & alio-  
rum, qui in imperijs versati sunt, conversatione utan-  
tur. Quorum colloquijs & dissertationibus magnus  
acquiritur prudentiæ cumulus, quibus plus brevi quam  
longa multorum librorum lectione proficiat, ait nob.  
nost: Syllen: Disp. Pol. 4. Prudentia politica, diligen-  
ti historiarum lectione comparata, etiam *Experientia*  
completur, cui subservit *peregrinatio*, quæ in ijs saltem  
non improbanda venit, qui corporis & animi rationes  
ejus sunt capaces; si modo rectè instituatur. Ita nimi-  
rum, ne externi solum mores, vanis cum ceremonijs  
addiscantur. Besol. l. 2. c. 1. n. 15. sed recondita in ipsa poli-  
tia & arcana imperij, magis indagentur atq; accuratè  
annotentur; non verò ad convertendum Reip: Dome-  
sticæ statum, usurpentur. Cavendum igitur, ne plus  
vitij, quam prudentiæ ab exteris reportetur.

VI. Prudentia politica, quæ Doctrinâ & usu aucta  
atq; completa est, non invenuste, omnium virtutum  
Epilogus vocatur ab Alstedio, Syst: Pol. 2. c. 1. R. 1.  
Quia eas sequitur tanquam Domina dirigens, determi-  
nans & eligens omnia media, quæ ad publicam salu-  
tem

A 3

tem

tem in civitate obtinendam conducunt, omnium a-  
tionum humanarum dux atq; directrix existit, sine qua  
nulla civitas, nulla Respub: stare potest, Arn. c. 7. ex Cic. l.  
3. II. Quæ divinæ sapientiæ rivulus, primum homines  
gubernando, ab agresti feraq; vita & confusione se-  
junct, & in unum societatis consensum ac civitatis or-  
dinem congregavit, ut tranquillam, justam & hone-  
stam inter se agerent vitam. Leges condidit, judicia-  
que constituit in societate maxime necessaria. Hæc ci-  
vitatibus præsidere, gubernaculum Reip: tenere cœpit,  
deq; omnibus, in ea necessarijs consultando, totius  
Reip: administrationem, sapienter direxit, ut cives o-  
ptatam felicitatis portum assequerentur, atque in eo  
etjam salvi & incolumes, diu & tranquille consisterent.

VII. Media, quibus cives in officio continentur, &  
diriguntur ad bonum publicum assequendum. Sunt  
*Officiales & Leges*, Arn. c. 1. *Officiales sive administri sunt,*  
*qui in partem curarum & onerum, à supremo magistratu, ne-*  
*cessario accersuntur, ad negotia publica peragenda.* Liebent.  
Disp: XI. Sine quibus summa potestas, non potest o-  
mnia in Repub: efficere Arn. c. 7. magna enim nego-  
tia, magnis egent adjutoribus, idem ex Patercul. l. 2.  
Qui Remp: juvat, Vel *α. consilio*, unde *Senatus*, qui  
*virorum selectorum legitima est congregatio sive cœtus, qui prin-*  
*cipi suo à consilijs sunt, quomodo Respub: pacis belliq; tempore*  
*sit gubernanda.* Hi sapientiã & prudentiã præstantes sunt  
colligendi atq; constituendi, Deut. 1: 13. Prudentiæ enim  
pars prima est consulere. Arn. c. 14. ex 6. Eth. c. 6. Hos  
*cum primis commendat pietas.* Sine quâ nemo consulere  
potest, Besok. l. 2. c. 4. n. 11. Impiorum enim consilia sunt  
fraudulenta. Deinde *fidelitas*, quæ certè magis, quam  
scientia probanda, perfidia veneni instar, omnes ingenij  
quali-

qualitates turpiter inficere solet. Proinde ad consul-  
tandum, ab ijs liberè & fideliter proponenda sunt ea,  
quorum scopus est honestus, Reip. utilis & necessarius,  
quæq; per media honesta & possibile obtineri possunt,  
Alsted. Syst. Pol. 2. c. 8. *Modestia* etiam requiritur, ut  
specie obliquij regant, & omnibus agendis quieta cum in-  
dustria adsint, Liebent. Disp. XI. ex Tacit. Peracta consulta-  
tione, *Silentio* opus est, & *constantia*. Illud optimum atq; tu-  
tissimum est rerum gerendarum vinculum: nec res ma-  
gnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est. Curt.  
l. 4. 6. hæc indicium est, non fluctuantis animi Absint  
ergo novatores: qui ut aliquid sui videantur afferre  
etiam recta commutare solent. Lips. l. 4. c. 9. n. 28.

VIII. Vel *β. Auxilio*, cum *ordinario*, ut magistratus  
Politicus, qui est *persona publica, legitima imperandi potestate*  
*instructa, ad benè agendum & rectè administrandum Remp.*  
Qui varius est. *Alius* enim occupatur in defendenda  
salute totius Reip: ut *summus magistratus*, cui omnimoda  
imperij cura incumbit. *Alius*, circa justitiam admini-  
strandam versatur, ut *Judex*, qui *justitiam & judicium, per*  
*potestatem à Majestate concessam, secundum leges & conscien-*  
*tiam exercet.* Hunc oportet virum esse prudentem, tem-  
peranter severum, pietatis & veritatis studiosum, legis  
jurisq; peritum & quæstui infensum. Omnem magi-  
stratum in officio suo, magis justitiam, quam lucrum,  
aut favorem alicujus respicere decet: maximè quidem  
in judicando, judicium enim Dei est, ideoq; Deo magis  
quam homini devinctus est, Act. 4: 19. 5: 29. *Alius* circa  
ærarium versatur, ut *reditus publici*, justè & maturè  
exacti, colligantur & in necessarios usus fideliter collo-  
centur, ne publica bona, in privates abeant usus. Tum  
*extraordinario*, ut *legatus*, qui *sacratiore nomine ad principem*

vel

vel Remp. mittitur ab eo, qui potestatem legandi habet, rei duntaxat dicenda & agenda gratia. Hujus auxilio non semper utitur summa potestas, sed tantum urgente gravi aliqua necessitate, quæ vel honorem vel salutem Reipub: concernit.

IX. Alterum instrumentum sive medium administrationis est, *Lex civilis*, sine quâ nulla Respub: durare potest, quæ prout gubernationi inservit civili, est *Iussum à summa Majestate promulgatum, præscribens quodpiam à subditis servandum, quod necessario ad Reip: tranquillitatem & utilitatem facere putatur.* Nob: nr. Gyllen: Disp.

XI. ex Horn. Dicitur *lex Politica & positiva*, quod ab humana præcipuè dependeat autoritate, ut cives in officio contineantur. Et *civilis* quod præter jus naturæ & gentium, hæc utitur quælibet Respub. juri communi vel *addendo*, cum suppleatur id, quod ad circumstantias pertinet, idq; certa ratione declaratur. Vel *detrahendo*, cum indeterminatus ejus cursus, coarctatus & certo limite definitus fuerit. Nec ideo in totum à jure gentium recedit, nititur namq; iisdem principijs, nec per omnia ei servit. Hinc patet, necessitas hujus legis, non enim jus naturæ & gentium sufficit ad Remp: rite gubernandam: Varium namq; cum sit in orbe, omnium populorum ingenium, ideo nec mores iidem, diversus locorum habitus, aliarumq; circumstantiarum dissensus. Ideoq; pro ratione cujuslibet Reipub: differente, aliud atq; differens jus est constituendum. Hinc fit, quod Athenis fuit honestum, id Romæ ab honestate remotum erat, Corn. Nep. præf.

X. Jus civile sive lex positiva, Vel *α.* est scripta, ne oblivioni tradatur, eaq; publicè in concione, omnium statuum, cum approbatione promulgata, ne sibi obligatis ignota

ignota sit. Promulgatio itaq; non scriptio essentiam legis constituit, cum ante terminum promulgationis, nec sciri, nec obligare possit. Arn. c. 17. Ejus bonitas ante promulgationem quoq; danda est. Sic namq; scriptam esse oportet, cum virtus armata ab Arn. ex Seneca vocatur, ut honesta & justa sit, ac secundum naturam & consuetudinem patriæ, quod docet ejus inventrix prudentia: nec ulla ex parte ambigua & obscura sit, ut ab omnibus intelligatur. Besol. Syn. Pol. l. 2. c. 4. Breves etiam sint, multæ enim leges, bonos sane mores non faciunt, sed pauca fidenter servatæ. Semel latæ non facile mutandæ, nec temerè ab eo jure recedendum, quod diu æquum visum est, nisi svadente utilitate, summa id expresserit necessitas, ex frequentiori namq; mutatione, vis ejus enervatur. Locc. Syn. Jur. c. 1. quæst. 4. in Monarchia sive Regno *Lex* dicitur, in Aristocratia *Senatusconsultum*, in *Democratia Plebiscitum*.

XI. *Lex civilis primò* vel est *publica*, statum totius Regni concernens; vel *privata* singulorum utilitatem directè intendens. *Deinde* est vel *universalis*, quæ ad omnes in eodem imperio pertinet: vel *specialis*, quæ certæ alicui provinciæ, civitati & collegio fertur: vel *singularis*, Ius vocatur contra communes regulas alicui donatum, alias privilegii nomine gaudet. Vel *β.* non scripta sive consuetudinaria, quam usus frequens inveteratus & æquus, tacita communi assensione, comprobavit. Bona enim & honesta consuetudo legis vigorem habet. Nob. Gyllen: Disp. 12.

XII. Antequam legum aliqua fieri potest adaptatio omnium *primò* natura subditorum cognoscenda venit ab eo, qui vel Remp. administrare, vel de rebus politicis judicare velit, nosse namq; prius oportet Remp: & civium

civium cognitos habere mores, quam leges alicujus civitatis & formam, ad varios gentium mores & inclinationes, politicus accommodare potest. Nam varia illa populorum inclinatio, miram formarum Reip: varietatem & diversam imperandi rationem cum primis efficere videtur. Varietas hæc ingenii & morum inter populos, partim ex situ, naturâ & sede regionis; partim ex ætate, conditione, statu & educatione colligitur atq; cognoscitur. Aliis enim in regionibus homines naturâ sunt simplices, candidi, fidi & constantes: in aliis leves & inconstantes: in aliis industrii, seduli & severi: in aliis otiosi & voluptatibus dediti: in aliis duri & robusti: in aliis timidi & molles: in quibusdam callidi atq; dolosi reperiuntur. Qui omnes, pro diversitate ingenii, diverso egent imperio.

XIII. Deinde cognoscenda sequitur ipsa Reip: natura, quâ Respub: vel *ratione partium*, cum propter mores imperantium perversos: tum propter ingenia & inclinationes parentium, variis casibus, odiis & mutationibus obnoxia extat. Vel *Ratione sua*, cum *quantitatis*: si aut nimis *exigua*, vicinorum confœderationibus firmanda erit, quas enim vires in se non habet, eas per fœdera cum vicinis acquireret, unita virtus fortior & ad hostiles impetus propullandos instructior erit. Aut si nimis *ampla & distenta*, eaq; ferè creverit ut sua labore magnitudine, hoc majori cura & prudentia regenda erit, ne populi prævalentis vires se ipsæ conficiant. *Liv. præf.* Aut si nimis *angusta & pulchra*, non parum ideò periculosa, à multis enim expetitur atq; infestatur. Tum *qualitatis*: Nova Respub: facilè ijs artibus retinetur, quibus est parta. *Salust. Præf.* quæ si non dum assvefactione legum firmata fuerit, non modo eximiam postulat dextera-

ritatem

ritatem & prudentiam, sed etiam insignem clementiam, ut beneficiis amor populorum concilietur. In hæc periculosa mutationes sunt & novationes, semper odiosa, quæ si necessariò introducendæ erunt, sensim id & pedetentim fiat, ne conversionem inferat factio.

XIV. Cognitis his rectè, sequitur mediorem ad Remp. prudens adaptatio, politia sive forma administrationis civilis. Quæ consistit, *primò* in ipsa *Functione* sive sollicita officii cura de Rep: quâ, *Secunda tabula negotia secularia*, per *externam disciplinam ab officialibus fideliter & prudenter curantur*, *Ius cuiq; suum secundum leges à majestate promulgatas, tribuendo atq; conservando*, *Liebert. disp. XI*; Hoc magnum cum sit atq; difficile, imò onus omnium maximum, quilibet officialis sui muneris memor, maturè saluti patriæ prospiciat, quomodo subditos in officio prudenter contineat, & incommodis illorum tempestive medeatur, ut parens patriæ haberi velit & esse possit. *Cic. ad. Quint. fr. l. i. Ep. i.* Hoc ut obtineatur, requiritur *Amor & Benevolentia*. Quæ origo & basis est reliquorum omnium, quæ à magistratu subditis præstantur. Paternum igitur animum erga commissos sibi regendos indui oportet, qui magistratum denuò amari atq; tutum reddit. inexpugnabile enim munimentum, amor civium extat.

XV. Ex amore erga subditos, fluit *α. Comitas & affabilitas*, quibus enim favent principes, erga illos affabiles se præstare solent. Hac virtute maximè conciliantur animi subditorum, qui ad reverentiam inde facillimè flectuntur. Comitas interim in supremo magistratu, gravitate ita temperanda sit, ut majestatis eum non capiat oblivio, nimia enim & intempestiva familiaritas contemptum parit. Ex amore *β. originem du-*

cit *clementia*, quâ Princeps populis maguoperè commenda-  
datur, regnum stabile redditur. Non alia virtus magis  
Regem cum subditis connexum, & in aperto saluum præ-  
stat, quæ non modo in ipsorum, qui imperant, sed etiam  
in illorum qui parent ingenijs sita est, obsequio namq;  
mitigantur imperia, ait Alex: contra Hermol. Curt. l. 8.  
c. 8. & Xenoph. Principes rectè & justè imperantes, red-  
dunt subditos sibi facile obsequentes & benevolos. Ab-  
sit tamen nimia indulgentia, quæ subditis, dum sperant  
se impunè suos ferre reatus, delinquendi licentiam præ-  
bere videtur. Sit ergo severitate justitiæ temperata.  
Nam *clementia* absq; *justitia* fatuitas, *justitia* sine *cle-*  
*mentia* crudelitas est. Ex benevolo autem magistra-  
tus erga subditos affectu, cumulat *solicita officij* cu-  
ra, quæ commodis illorum obtinendis prospiciendo, sa-  
lutem totius Reipub: unicè quærit: eò præcipuè cogita-  
tiones & consilia dirigens, ut non universis modo ci-  
vibus, verum plerumq; singulis, omni in statu serviat,  
& eorum commodis providere possit.

XVI. Hoc ut magistratus prudenter consequi valeat,  
pro felici Reip: gubernatione, Deus Opt: & Max: cum-  
primis fideliter est invocandus, sedulaq; opera danda, ut  
secundum leges & sancta jura, *justitia* (quæ juncta ve-  
ra cum religione est fundamentum & fulcrum totius  
Reip:) inter subditos vigeat & rectè administretur. Le-  
ges enim quas magistratus probabili ratione pro salutem to-  
tius Reip: Divino addidit juri & naturæ, absq; executione,  
nullius sunt ponderis, nec ullum Reipub: afferunt  
fructum. Misera proinde illa est Reipub: in qua mores  
perduxerunt leges in suam potestatem, & eæ miseræ ad  
parietem clavis ferreis fixæ hærent; ibi mutæ, idem sunt  
ac campana sine pistillo, unde parum sit, jus in civitate  
habe-

haberi, si desint, qui *justitiam* prudenter administrare,  
litesq; ritè dirimere possint. Accuratè igitur *executioni*  
mandandæ sunt, quæ *jurisdictionis exercitium* est.

XVII. *Jurisdictionis est potestas politica, statuendi aliquid de ci-*  
*vili negotio & criminali.* Quæ summo magistratui competit.  
Reges enim *justitiæ fruendæ gratia*, olim factos esse puta-  
runt, Arn. c. 15 & Lips. l. 2. c. 10. ex Cic. l. 2. de off. quò re-  
spiciebant Judæi, petentes Regem, qui ipsis more alia-  
rum gentium, jus diceret. 1. Sam. 8: 5. ipse quoad fieri  
potest, causas cognoscet ac judicabit, cum primis arduis  
in negotijs: aliàs plures integros, prudentiâ legumq;  
peritiâ instructos ac pios constituet judices inferiores &  
intermedios, qui *judicia*, secundum leges, instructio-  
nes & juramenta ita exercebunt, ut nullum in civitate  
crimen extet impunitum: Jus tamen provocationis sibi  
reservet summus magistratus, ne *justitiæ neglectæ* accu-  
sari possit, & metu *judicia magistratuum inferiorum*,  
intra *justitiæ terminos* contineantur. *Judicia* enim ne-  
gligere, contemptus opinionem in animis civium pa-  
rit, Arn. c. 15. Regis officium proprium cum sit, judi-  
cium & *justitiam* facere, idem ex Hieron: & ad id na-  
tum dicit cum Hesiod: quod quidem maximè tum facit,  
cum probos præficiat judices, eorumq; *judicia* eò regis  
ut gravioribus in causis, ad se provocari patiat, mino-  
res relinquat *judicibus* decidendas. Regem enim quasi  
cunq; lites audire non decet: magnitudo namq; ejus  
vilibus in negotijs obsolescit. Nec quidquam indignius est,  
quam Regis officium consumi, ubi non potest osten-  
di, Curt. l. 9. c. 6.

XVIII. *Judicium est legitima controversia judicialis di-*  
*sceptatio, inter actorem & reum, apud competentem judicem, à*



quo secundum leges, iusta sit dijudicatio, ut publica autoritate, lites sopiantur. Nob. nost. Gyllen: Disp. 13 ex Wefemb. exacta hic requiritur causæ cognitio, quam sequitur legitima dijudicatio, hanc excipit executio; quæ duo complectitur distribuenda: *Premia & Pœnas*: Illa bonos, hæ improbos respiciunt. ab his legi vis conciliatur, quibus etiam ciues, vel flectuntur & instigantur, vel constringuntur, Alsted. Syst. Pol. 2. c. 7. Reg. 4. Quemadmodum formidine pœnæ improbi & viles coercentur, & metu correctionis à vitijs veluti fræno retrahuntur: ita præmiorum promissione bonorum virtus accendi solet, & ad obsequium legis magis magisque pertrahitur. Quæ sanè ratio, non solum à iudice, sed etiam ab omnibus officialibus, non sine magno Reip: damno & virtutis iacturâ negligi videtur. Eò enim facile impenditur labor & periculum, unde emolumentum atque honos speratur. Liv: 1. 4. c. 35. Erudita quidem perfectio hoc requirit, ut solius amore virtutis bona faciamus & nihil pœnâ dignum committere velimus, sed in paucis invenitur. Virtus enim cum per se sit amara & difficilis, Besold. 1. 2. c. 3. n. 3. Nihil iustius quam virtuti præmium reddere, nec alia ratione homines, ad ejus studium magis incitantur, Nam bonus, neglecto virtutis præmio, segnior: Malus verò, omiſſâ pœnâ vitij, pejor evadit. Proinde neutrum fieri decet, cum Respub. non minus detrimenti sentiat ex neglectu virtutis, quam impunitate scelerum. Ideo duabus rebus omnis continetur Respub: *præmio & pœnâ*, rectè ait Cic. ad Brut: Epist: 15. ex Solone. *Not. præmium est vel Gratia cum magistratus benè meritos præcipuo aliquo favoris signo dignatur. Vel Honoris, idque cum Nobilitatis, quod ob excellentem virtutis, tam togatæ quam sagatæ gradum, alicui tribuitur. Tum Dignitatis, quod con-*  
fertur

fertur, *Vel publico cum munere, ut iudicis, Pastoris, &c. Vel absque munere publico, ut Ordo equestris, Doctoratus &c. Vel utilitatis, quod est jus libertatis, ut immunitas, data fidelitatis & servitorum bellicorum causa. Pœna est vel Legalis, qua legibus definita est in delictis atrocioribus & frequentioribus: Vel Arbitraria, qua secundum aequitatem ab arbitrio magis stratus pendet, & in levioribus delinquenti infligitur.*

XIX. Leges quamvis sanctæ in Rep: latæ sint, non solum nihil valent, verum etiam earum ad hominum facta corrigenda, difficilis est applicatio: nisi privata civium disciplina sancta quoque intercesserit, & eorum prima educatio, pia & virtuti consentanea, mores subditorum sanctos quoque effecerit. Arist. 1. 4. Pol. c. 8. Cujus tanta vis est, ut probe educatis legibus non opus erit. Arn. c. 8. Lycurgus igitur rogatus, cur legibus non uteretur? Resp: quòd benè instituti temporis utilitatem, & quovis loco faciendam, per se optimè callent. Contra verò, ubi neglecta fuerit institutio, frustra feruntur leges: frustra enim imperatur ei, qui obedire non didicit. Afferit maximam corruptionis in Rep: causam esse, quod non instituta sit juvenus, ad eam Reip: formam, in quâ victura erit, Arn. c. 18. ex Arist. 1. 5. Pol. Laudi igitur Magistratui ducitur, ubi cives sic instituuntur, ut nihil contra leges, nec quid pœnâ dignum committere velint. Præclara instituta felicem efficiunt civitatem, nam homines male instituti, leges exquisitissimas, imò magistratum ipsum contemnere audent.

XX. Juvenes igitur rectè instituti, omnes inde ad honestum aliquod vitæ genus adigendi, non omnes promiscuè ad artes coguntur liberales, sed ad alia Reip: necessaria studia sive artes averti debent, quibus Respub: carere nequit. Alius proinde aliud suscipiat munus, in  
quod

quod cuilibet incumbendum est, ut suus sit dimensus Labor, quo singuli suæ familiæ honestam parant ac probant sustentationem. Magistratus igitur non est, subditos solum habere, sed vivendi facultatem ut habeant honestam, dispicere: Num prædia, agri, horti, &c. probè & non segniter colantur? *Boggin. L. E. c. 50.* Hinc otiosi inquirendi minimè verò ferendi veniunt. Validi mendicantes, & suorum bonorum decoctores neq; tolerandi: Sed illi ad labores adigendi, hi ad prudentiorem œconomiam sedulò adhortandi, ne ipsimet, se suosq; maximam in miseriam turpiter abijciant. Nihilo tamen minus, ijs alendis certus constituendus est modus, qui victum sibi parare nequeunt. Magistratus enim foliosa depingitur arbor, sub qua subditi, tutò & honestè pascuntur. Dan. 4: 9: 18.

XXI. Secundò, in ipsa *Relaxatione, qua est laborum & officiorum honesta ac tempestiva remissio, sive à publicis negotijs cessatio, ad reparandas animi corporisq; vires laboribus publicis haustas, ut homo honestis recreatus exercitijs, melius ad officia & negocia publica subindè alacrior redire possit.* Cum gravissima administrationis moles magistratus incumbat humeris, non inconveniens est, publici muneris difficultates moderatis interpolare recreationibus, quæ faciunt, *Partim* ad exercitium virtutis vel *civilis*, ut literarum studia, quæ semina virtutum in omni cessatione à publicis curis, à Cic: magnopere commendantur, lib: 1. offic. n. 13. & de Senect: n. 50. quæ prudentibus & benè institutis pariter cum ætate crescunt. Et in orat: pro Arch. non suppetere nobis posse, quotidie in tanta varietate rerum dicere, nisi animos nostros *doctrinâ* excolamus: nec nos ferre tantam posse contentionem, nisi eos *doctrinâ eadem* relaxemus.

Quan-

Quantum ergo temporis, alij intempestivis tribuunt convivij, quantum deniq; aleæ & pilæ: tantum mihi ego met. ad studia recolenda sumsero. Et Liv. præfat: inde tibi tuæq; Reipub: quod imitere capias, inde sædum inceptu, sædum exitu, quod vites. Vel *militaris*, quò pertinet ludus gladiatorius, equitatio, certamen hostilium, & quæ hujus generis sunt plurima; ex quibus omnibus non solum magnam percipiunt utilitatem, sed etiam muneris molestiæ hinc facilimè discutiuntur. *Partim* ad delectationem, quò ducit deambulatio, musices oblectatio. Sic publicis laboribus fatigati, quin solennibus nuptijs, alijsq; honestis interdum convivij ad sint, & alios exerceant ludos, qui intra honestatis cohibentur fines, nihil obstat; modo ne recreationes in quotidiana degererent exercitia, ubi neglectâ interim tempestivâ administrationis curâ, officiales voluptatibus corporis se totos tradunt, quibus prudentia politica virtutum domina turpiter suffocatur. In omni igitur à publicis curis remissione, temperantia est observanda, ut sit mens sana in corpore sano; & in publica administratione, Divina imploranda est potentia, per quam regna gubernantur omnia. Tantum hæc de re, habitâ ratione instituti & temporis, dixisse sufficit.

Deus omnipotens benignissimè concedat, ut Magistratus *ἐπαρχίαν* & subditi *ἐπίσημοι* sibi unice commendatam habeant, atq; ex politiâ hæc terrena aliquandò transferamur in cœlestem, ubi Deus erit omnia in omnibus, cui sit laus, honor in seculum seculi. Amen.

Ad Erv-

Ad Eruditione insigni, caræq; virtutis suppellectili  
instructissimum Virum,  
DN. NICOLAUM SVENONIS LIUNGBER-  
GIUM, Smol. Phil. Candidatum meritissimum, adeo-  
que pro Magisterij gradu de TOGA solidè disputantem, amicum  
& consobrinum meum pl. dilectum:

**T**urrigeris humeris, dentis quoq; Barrus Eburni.  
Qui superare ferox martia bella solet,  
Supponit nunc colla jugo, stimulisq; subactus  
Herculeos currus ad pia Templâ vehit;  
Vel fera cognoscit pacatos undiq; Svecos,  
Projectisq; armis munia pacis obit.  
En Galeâ intrepidus quam miles gesserat; & qua  
Sæpius hostili sparsa cruore fuit,  
Partâ pace, apibus tenuis concessit in usum  
Alveoli, atq; favos, grataq; mella gerit.  
Dilecti Halciones tranquilli in marmoris undâ  
Nidificant, pullos involucresq; fovent.  
Arma procul jaceant: fas sit tibi dicere laudes.  
Jova miserte chori, jova benigne foro!

L. Mq;  
ENEV. SVEN. Q. G. A. S.S.Th.D.&P.P.

Viro-Juveni Ingenio, Virtute & Eruditione prestan-  
tissimo, politissimoq;  
DN. NICOLAO LIUNGBERGIO Philosophie Candi-  
dato dignissimo, S. R. M. Alumno maxime industrio, Amico meo sincere dile-  
cto, pro Gradu in Philosophia Summo solerter & ingeniosè disputanti,  
**N**on jacet in molli veneranda scientia Lecto,  
Clivo nec facili docta corolla venit.  
Non ornant Musæ, si sic ratio in via Musis,  
Nec segni præbet Turba novena locum.  
Comprobat hoc studiumq; tuum doctissime LIUNGBERG  
Arduus inde labor præmia magna feret.  
Præmia gratulor hæc quæ porriget aucta Brabeutes,  
Tu precor ut vigeas Ti, patriæq; Deo!  
Ita paucis, animitus tamen gratulari voluit  
AXELIUS Kempe.

*Non jacet in*